

1438

*Picininus
loca multa
in agro Bri-
xiano ca-
pit.*

Sed dum hæc domi comparantur, Picininus quatrIduo post Rhoadanam pugnam copiis ex Colonia Rhoadum in castra reductis, oppidanos ad deditionem compulit: quam Bomadenfes secuti sunt, Paterniani, Passiriani; & sequenti die Monticulani, Guglanenses, Omiani, & Brienfes; demum, Iseo expugnato, Trompienses in montibus recepit. Et jam omnis Brixianorum planities cum non parva eorum parte qui montes incolunt, in hostium potestatem venerat, præter Novos Urceos, ad quos oppugnandos Picininus non multo post moturus erat: quum Mellita, Barbarus, & reliqui Brixie magistratus, rati quod erat, Picinini consilia non alio spectare, quam ut Venetas copias omni auxilio exclusas intra Brixie mœnia fame conficeret, quibus amissis (quia nullæ reliquæ erant, quæ hostibus opponi possent) haud dubium videri, omnia quæ in continenti ora Veneti haberent, brevi in hostium potestatem concessura: clandestine agunt, ut Mellita, relictis qui urbi præsidio essent, cum cætero exercitu, quacunque fortuna viam præbuisset, per hosticum Veronam transiret. Tertia itaque noctis vigilia cum quinque millibus equitum pedumque Brixia profectum Blundus tradidit: in Montani commentariis haudquaquam tantas illum copias tunc habuisse reperio: Papius Ariminensis tria millia fuisse scribit: hos ego ideo libentius sequor, quia uterque bello interfuit. Verum quantacunque fuit illa manus, citato agmine ad Mincii ripam perducta est: ubi quum non multum infra Vallegii pontem vadum tentare cœpisset, magnitudine aquarum, & hostium stationibus, quæ ulteriorem ripam infederant, transitu prohibita, nihilo segnius quam venerat, aliquot equis in tanta celeritate amissis, Brixiam est reversa. Moverat Picininus Brixiam versus, Veneti intercipiendi consilio: sed hostis celeritate præventus suam ignaviam accusasse dicitur, quod in eam occasionem parum omnino intentus fuisset, atque iccirco sua negligentia e manibus esset emissa. Nec ita diutius moratus, in Urceanos (qui adhuc, ut diximus, in fide erant) movit. A Mellita interim nova est transitio tentata; quæ etsi non mi-

nus

*Mellita frustra tenta-
vit ex Bri-
xia Veronam trans-
ire.*